



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

49 Episcopus non potest disponere, ut ipsius cadaver contra Ecclesiae ritum sepeliatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

lem institutionem legis, vel canonis immutare, *cap. sic quidem* & ibi Archid. & Præpos. num. 2, 10, *quest. 1, l. nemo potest* & ibi Bar. num. 1, & ff. de leg. 1, & dicta gloss. in ver. *interdici*. & Bald. in d. *auth. licet C. de Epif. & cler.* Ve in simili videmus, testatorem non posse disponere, ut contra communem Ecclesiæ usum corpus suum sepeliatur.

48 Ideò, † cum cadavera sint ecclesiasticæ sepulturæ juxta pium Ecclesiæ ritum, cum psalmis tantummodo, & psallentium vocibus deferenda, ut c. *qui divina* 13, *quest. 2.*

49 Si quis testator † aliter mandaret, ut scilicet, cum tubis, & cantibus profanis, aut aliter contra communem, & piam Christianæ sepulturæ consuetudinem sepulchro traderetur, ut disposuit quidam doctor, qui mandavit, cadaver suum sepeliri cum tubis, & indui familiam suam de rosato; talis dispositio esset bestialis, & non servanda, ut inquit Paul. de Castr. in l. *non oportet C. de his, qui, ut indign.*

50 Qui verò divina vocatione † ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo, & psallentium vocibus debent ad sepulchra deferri. Nam funebre carmen profanum, quod vulgò defunctis cantari solet, vel in pectoribus se, aut proximos, aut familias cedere, est omnino prohibitum, sufficit autem, quòd in spe resurrectionis Christianorum corporibus famulatus divinorum impenditur canticorum: Religiosis aliter fieri est prohibitum, & sic Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum, concil. Toletan. 3, *cap. 22, & cap. qui divina*, 13, *quest. 2.*

Magna fuit apud antiquos Christianos

† cura cada verum, qui hominem sibi primum mortuus fuerat, lavabant, *Act. 4. post. cap. 9.* Euseb. *lib. 7, cap. 22*, & super cadavera plangebant: curaverunt Stephanum viri timorati, & fecerunt plangitum magnum super eum, *Luc. Act. cap. 5*, Et Apostolus Paulus plorantes super mortuos spe resurrectionis consolatur ad Thessalon Epist. 1, *cap. 4*, & consuetudinem super mortuos lugendi antiquam esse testatur, Orig. *lib. 3, in Job & D. Hier. in Ep. ad Eust. de obitu Paulæ.* † Lacedæmonibus erat mos mortua hominum corpora lugendi diebus undecim, *l. Licurgus tempus presinitum* Io. Boem. *de moribus om. gen. lib. 3, c. 3. sub fin.* Tartari tricesimo die in funeribus ludum finiunt. Idem *l. 2, cap. 10*, ut etiam Germani, qui tamen mortuo ter iusta persolvunt, primo videlicet die, septimo, & tricesimo, *idem lib. 3, cap. 12, circa fin.* † apud Aegyptios, ubi aliquis defunctus est, propinquos omnes, & amici Dei turpato luto capite lugentes civitatem, quoad mortuus sepeliatur, circumeunt interim, neque lavantur, neque vinum capiunt, aut cibum, nisi vilem, nec vestibus utuntur splendidis, aliaque habent in curando, & sepeliendo cadavera instituta, ut non minus singularia sint, quam admiranda, *idem lib. 1, cap. 5, circa fin.*

Talis enim Assyriorum luctus in funeribus, qualis est apud Aegyptios in Italia quoque, † & apud Christianos defunctorum exequiæ diverso licet more lugentur; alij enim veste lugubri obvoluti magis, quam vestiti mortuum vario dierum ordine luctu prosequuntur, alij lamentabili fletu cadavera sepulturæ tradunt. Nec certè negari potest, triste, &